



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

§. 1. De sacra Communione generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

ARTICULUS III.

De Sacra communionis virtute
pios manes sublevandi.

§. I.

De sacra communione generatim.

971.
Prodest de-
functis nū
ex opere
operato?

DE hac quoque lite egimus tractatu de Sacramento Amoris. Quamobrem spicas quasdam velut messe jam collectā reliquas legimus. Receptum est primū Sacram synaxim non parum prodesse defunctis posse, si satisfactio illius ex opere operantis profecta iis transcribatur: quandoquidem opus sit summæ religionis, & varios præstantesque virtutum actus comites habere solitum. Controvertunt aliqui, an, ut sacrificium iisdem applicatum, per sese, ac proximè pœnas eorum diluit, ita & sacra communio. Et sententia quidem affirmans hoc argumento niti potest: quòd communio, non approbatio tantum, sed quædam pars sit sacrificii. Et si quidem de Sacerdotis in Missa communione sermo sit, nonnullis pars est essentialis, aliis integralis. Si verò de Laicâ synaxi agatur, cùm manducatio hostiæ ad sacrificium pertineat, & synaxis etiam Laica sit manducatio hostiæ, consequitur hanc quoque ad sacrificium pertinere, tanquam ejus aliquam partem, ac proinde prærogativam sacrificii participare, ut proximè, atque ex opere operato, sive ultra vim dispositionis ad communicandum allatâ, defunctorum pœnas mitiget.

972.
Negatur.

Sed sententia negans omnino tenenda videtur. Enimverò SS. Eucharistia cibi instar sese habet, ac sumitur: cibus autem solum nutrit, exhilarat, ac molestia levat manducantem. Igitur & illa per se soli prodest manducanti. Accedit quod incertum sit, an eadem communio ipsius manducantis pœnas per se, & ex opere operato, dissolvat. multi enim hanc dissolutionem tribuunt actibus charitatis, quos per se excitat communio: quamobrem longè ægrius adducantur, ut credant eandem synaxim piis manibus solandis per se ex opere operato prodesse. Nos lite hac indecisâ (nec enim arbitrari nostrum est) synaxim iis non mediocriter opitulati dicamus, modum opitulationis Deo relinquamus.

Et propositionem nostram affirmat hac historia Ludovicus Blofius Abbas Læticen-
973.
Quamquã
valde illis
prodest, ut
patet ex
Blofio.
sis in conclavi animæ cap. 6. hisce verbis. Anima cuiusdam defuncti cuiusdam Dei amico in flammâ ardoris immensi apparentis dixit, se eâ sola de causâ tam divinis cruciatibus torqueri, quod circa Dominici corporis perceptionem fuisset negligentior. addiditque, si vel semel Venerabile Sacramentum devotè pro ipso accipere dignaretur, se mox liberandam. Quod cùm ille Dei amicus fecisset, sequenti die anima eidem sole fulgentior atque micantior apparuit, unica illa dignissimi Sacramenti huius perceptione ab intolerabilibus pœnis liberata, atque ad cœlum & æternam beatitudinem evehita. Ita Blofius.

Idem confirmatur ex insinuationibus
974.
Et ex Insinuationibus S.
Gertrudis.
divinis S. Gertrudis lib. 5. cap. 20. ubi sic narratur. Dominica, quâ agitur communis memoria pro animabus parentum congregationis, dum post sumptam sanctam communionem hostiam illam offerret Domino in remedio prædictarum animarum, & statim magnam multitudinem videret, de quibusdam infimis tenebris ascendere, sicut scintillæ sparguntur ab igne, quasdam in similitudine stellarum, quâdam verò alterius speciei, ita perquirens, si numerosa illa multitudo esset ex parentibus nostris, tale à Domino accepit responsum. Ego propinquissimus vester sum, pater, & frater, & sponsus; Ergo affinis mi sunt omnes mei speciales, quos nolo expertes esse à communi memoria parentum vestrorum. Unde cum his sunt intermixti. Et ideò ista disposuit orare semper pro specialibus Domini. Sequenti verò die sub Missa, post oblationem hostiæ, intellexit Dominum dicentem, nos conjuncti sumus cum his, qui parati erant, & venerunt, sed nunc mittamus partes his, qui nondum potuerunt adesse. Idem alio anno, cùm vigiliæ pulsarentur, vidit agnum quemdam nivei candoris, sicut Agnus Paschalis solet depingi, quasi ex vulnerato corde suo emittentem roseos rivos sanguinis in aureum calicem, & dicentem; Ego ipse sum propitiaturus omnibus illis animabus, quibus hodie in loco isto paratur convivium. Ita Christus: ubi per animas illas, quibus convivium parabatur, animas purgandas, quorum bono Sacra synaxis sumebatur, intelligit, ut satis patet antecedentia & consequentia perpendenti.

Huc quoque spectat, quod sequitur. Vitam consceleratam eripuerat Deus huiusmodi
975.
Et ex Angelo Joanne de Cruce.
Sacram
passus Custos B. Joannæ de Cruce Angelus

Sacram

Sacram hostiam eo sterquilinio remanere, sed reverenter exceptam ei detulit, iussitque, eujuspiam animæ ex igneo ergastulo liberandæ causâ illam sumere.

976.
Mos pro
defunctis
communi-
candi pro-
batur.

Ex quibus patet maximè probandum, cum morem piorum ac religiosorum hominum, qui aliquo è suis vitâ functo, in ejus gratiam omnes SS. Eucharistiam communiter accipiunt. Id quod V. Antonius Tholosani Antonianorû Generalis eximia doctrinâ, & sanctitate vir, à Præside tuo impetravit, cum adhuc esset Societatis Jesû, & parentem suum obiisse divinitus intellexisset. Ita hodièque pios manes juvare student permulti, ut mirum sit aliquos id genus pietatis tamquam inutile ac supervacaneum dissuadere.

§. 2.

De communione Generali Doctrina Theologica.

977.
Bulla com-
munionis
Generalis.

HANC quoque segetem messuimus tractatu de Sacramento Amoris Eucharistici, nunc spicas aliquas relictas colligimus. Ac Bulla quidem Urbani VIII. anno 1634. Societati Jesu super hac concessa, hæc est, *Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, caelestibus thesauris piæ charitate intenti, omnibus utriusque sexus fidelibus verè penitentibus, & confessis, qui aliquam Societatis Jesu, vel quamcumque aliam sæcularem Ecclesiam ubique existentem una ex Dominicis cujuslibet mensis, qua Communio Generalis sollicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium dictæ Societatis, & quoad Ecclesias sæculares de licentiâ Ordinariorû locorum, illarumque Rectorum consensu agitur; devotè visitaverint, & iis Dominicis in prædictis Ecclesiis sanctissimum Eucharistia Sacramentum sumserint, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Mariæ Ecclesiæ exaltatione piæ ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem, quam animabus fidelium defunctorum applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Volumus autem &c. Datum in arce Gardulphi die 10. Maii 1634. Pontificatus nostri anno undecimo.*

978.
Communi-
onis Ge-
neralis
tempus.

Sunt igitur ad hujus indulgentiæ consecutionem, tres generatim observandæ leges. Prima ad tempus pertinet, ut una ex Dominicis cujuslibet mensis Sacra synaxis sumatur: Altera ad locum, ut in Ecclesiis Societatis Jesu, vel sæcularibus Eccle-

siis, ubi nostrorum curâ communio Generalis celebratur, eadem sumatur. Tertia, ad preces pro indulgentiâ fundendas. Prima autem facilem habet explicatum, nam communioni Generali assignatur una è Dominicis cujuslibet Mensis, una, inquam, dies naturalis: nempe à medio ad medium noctis, ut in diebus jejunii, ac festis: ita ut qualibet hora ejus matutina, vespertinaque communicare, ac frui indulgentiâ possis. Et necesse est, ut sit Dominica: non igitur obtineri potest indulgentia à primis vespereis diei Dominicæ, quia earum tempus, ac dies, sabbathum est, non Dominica. Non etiam festis diebus, nisi fortè in Dominicam incidant. Cum autem quælibet Dominica sit una ex Dominicis, qualibet ex illis æquè potest obtineri, at unâ tantummodo per singulos menses: quia unâ, sive unicâ ex Dominicis cujuslibet mensis permittitur indulgentia. Sed quem menslem intelligis? non lunarem: sed solarem, seu Ecclesiasticum; adeò ut duodecies tantum per annum veniâ illâ potiri queas, quæ omnia præter verba Bullæ, usque hæctenus confirmavit.

De loco autem non æquè prona est responsio. Cum enim dicitur primum, *in Ecclesiis Societatis*, queritur quid Ecclesiæ nomine significetur, an etiam oratoria, ac sacella privata? Et aïens sententia, teste Quintanaduennas, est Granadi, & aliorum, quam quidem ipse probat; quia in favorabilibus hæc omnia nomine Ecclesiæ Societatis accipiuntur. Et confirmatur, quia famuli Societatis, aliarumque religionum ex privilegio satisfaciunt præcepto annuæ communionis Paschalis, si in Ecclesiis Religionum ubi serviunt, communi-cent; nec dubitari potest, quin si iis communio in sacello ministraretur, satis legi fecisse sint censendi. Igitur ædiculæ, ac sacella omnia, quacumque domus parte erecta, sive ad tempus, sive in perpetuum, idonea sunt ad veniam synaxeos Generalis obtinendam, quia dum consistunt, & Sacra hostia in iis sacrificari, ac servari potest, verè sunt loca sacra Missæ destinata, atque adeò veræ Ecclesiæ.

979.
An sacel-
lum dome-
sticum sit
ad indul-
gentiam
sufficiens.

Queritur deinde, an in Ecclesiis seminariorum Societatis Jesu, ubi scilicet nostri agunt, atque alumnos regunt, acquiri possit indulgentia synaxeos Generalis? Et idem affirmat, tum quia revera sunt Ecclesiæ Societatis, tum quia sic declaravit admodum R. P. Mutius Vitellescus, Societatis Jesu Præpositus Generalis: & stabilitur responsio, quia Ecclesiæ istæ non sunt sæculares, cum ab Ordinario non lustrentur, ergo Regulares, neque aliorum, quam Socie-

980.
An in tem-
plis semi-
nariorum
& sacellis
prædicatorum.